

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Nilus Mysticus Profluens Ex Paradiso Voluptatis, Sive Doctrinae Ad Mentem Scoti Theologicae, Ac Per Duodecim Alveos Regios In Flumen Magnum Serenissimae Marchionum Badensium Genealogiae Sese ...

Stümmel, Friedrich

Fulda, 1673

Portugalliae

[urn:nbn:de:bsz:31-11315](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-11315)

*Serenissimæ Domus Badensis origo ex
Antiquissimis Regibus*
PORTUGALLIÆ.



ALPHONSUS I.

Henrici Lotharingæ Ducis Filius, post memorabilem illam pugnam contra
Hismarium, & quatuor alios Saracenorum & Maurorum Reges, in agro Orchi-
ensi feliciter obtentam, Rex Lusitaniæ, sive Portugalliæ ab exercitu salutatus, diem
supremum clausit Anno 1185. Vxor Mafalda Moriennæ Comitissa.

Sanctius I. Rex Portugalliæ,
Alphonfi I. Filius, decessit Anno 1211. Uxor Dulcia Comitissa Barcinonæ.

Alphonfus II. Rex Portugalliæ,
Sanctij I. Filius, obiit anno 1223. Uxor Urraca Regina Castellæ.

Sanctius II. Rex Portugalliæ,
Alphonfi II. filius, obiit Anno 1249. Regni verò 20. Uxor incomperta.

Tyresia Regia Princeps Portugalliæ,
Sanctij II. Regis filia, nupta Alphonso IX. Regi Legionis & Castellæ,

Berengaria Infans Castellæ,
Alphonfi IX. Regis filia, nupta Joanni Brennio Hierosolymorum Regi.

Iole Regina Hierosolymorum,
Joannis Brennij Regis filia, nupta Friderico II. Suevo Romanorum Imperatori.

Manfredus Rex Siciliae ac Neapolis,
Friderici II. Imperatoris filius naturalis, à Carolo Andegavensi ad Beneventum occisus Anno
1265. Uxor nondum cognita.

Constantia Regina Siciliae & Neapolis,
Manfredi Regis filia, nupta Petro III. Regi Arragoniæ.

Fri.

Fridericus Rex Siciliae,

Petri III. Regis Arragoniae filius, obiit Anno 1328. Uxor Leonora Caroli Regis Neapolis filia.

Petrus Rex Siciliae,

Friderici Regis filius, obiit Anno 1342. Uxor Elifaberha Ducissa Tarenti.

Beatrix Regia Princeps Siciliae,

Petri Regis filia, nupta Ruperto Electori Palatino Rheni, Duci Bavariae.

Rupertus Romanorum Imperator,

Ruperti Electoris Palatini filius, obiit Anno 1410. Uxor Elifabetha Burggravia Norinbergensis,

Margarita Comitissa Palatina Rheni,

Ruperti Imperatoris filia, nupta Carolo Audaci Duci Lotharingae.

Catharina Ducissa Lotharingae,

Caroli Audacis filia, nupta Jacobo Marchioni Badensi, Anno 1418.

Carolus Bellator Marchio Badensis,

Jacobi filius, obiit Anno 1475. Uxor Catharina Ernesti Ferrei Archi-Ducis Austriae filia.

Christophorus Marchio Badensis,

Caroli Bellatoris filius, decessit Anno 1527. Uxor Ottilia Comitissa Cattimeliboci.

Ernestus Badensis,

Marchio Durlacensis in Pfortzheim, Christophori filius, obiit Anno 1553. Uxor Elifabetha Marchionissa Brandenburgica.

Carolus Marchio Durlacensis,

Ernesti in Pfortzheim filius, obiit Anno 1577. Uxor Anna Comitissa in Lautereck.

Georgius Fridericus Marchio Durlacensis,

Caroli filius, decessit Anno 1638. Uxor Juliana Urfula Friderici Rheingravij filia.

Fridericus Marchio Durlacensis,

Georgij Friderici filius, obiit Anno 1659. Uxor Eleonora Alberti Othonis Comitis Solmen-
fis in Laubach filia.

BERNARDUS GUSTAVUS

S. R. Ecclesiae Cardinalis, S. R. Imperij Princeps, Inclytae Ecclesiae Fuldensis
ABBAS, Augustae Roman. Imperatricis Archi-Cancellarius, per Germaniam & Gal-
liam Primas &c. Marchio Badensis & Hochbergensis in Durlach &c. Eccl. Ducalis
Campidonensis Administrator, & Coadjutor liberae seu immediatae Abbatiae & Ec-
cles. Syburgensis, Landgravius in Saufenberg, Comes in Sponheim & Eberstein,
Dominus in Röteln, Badenweiler, Lahr & Malberg, Metropolitanæ & Cathedralis
Eccles. Colonienfis & Argentinensis respectivè Canonicus & Capitularis, &c.

Sere-



ORIGO SERENISSIMÆ DOMVS BADENSIS AB ANTIQVISSIMIS PORTUGALLIÆ Regibus in 7. Scutarijs Castellis & Turribus symbolicè referat septem Ecclesia Sacramenta: in quinq; pentabalanis Symbolum efformat quinq; vulnerum Christi, quo pie intelligas, Sacramenta non ex opere operantis, sed ex opere operato Deificos operari effectus.

Proprio cruore delevit Christus prævaricationis chyrographum, pacisque inito fœdere Ecclesiam sibi in sponsam consecravit, cui præposuit Episcopos, Archi-Episcopos, quales diversis Episcopatibus, & duos Archi-Episcopatus Trevirensi Deus è Marchionibus Badensibus elegit, ut quod symbolicè exhibent, in Ecclesiastici Ministerij excellentia probarent, etsi præter tot Ecclesias parochiales viginti tria Monasteria, quæ olim in amplissimo eorum Marchionatu floruerunt, & nunc aliqui florent, loquaci resonent silentio, Serenissimam Domum Badenensem Orthodoxæ molis non fabulosum fuisse Athlantem; ab hac ergò Domo edisce in Ecclesiarum veneratione, Ecclesiæ quoque venerari Sacramenta, de quibus lege, quæ sequuntur:

Sacramenta Ecclesia

1. In statu legis naturæ & veteris fuit aliquod Sacramentum gratiæ sanctificantis collatum.
2. In lege nova septem, omnia à Christo Domino immediatè instituta.
3. Omnia perficiuntur, non omnia constituuntur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma.
4. In Ministro requiritur intentio faciendi, quod Christus instituit, seu facit Ecclesia.
5. Habitualis non sufficit.
6. Nec requiritur actualis, sed saltem Virtualis.
7. Laicus in necessitate baptizans non solemniter in malo statu non peccat mortaliter.
8. Secus est de Sacerdote.
9. Vel Diacono ita baptizante vel distribuyente S. Eucharistiam.
10. Audiens in statu peccaminoso Confessionem, sed absolvens in bono à peccato eximendus, uti & Episcopus consecrans Ecclesias, calices, benedicens Corporalia, oleum infirmorum, & sacrum Chrisma conficiens: item Diaconus & Subdiaconus in Missa solemnè ministrans vel concionem habens.
11. Publicus peccator tam publicè quam privatim, est rejiciendus: occultus non nisi privatim.
12. In Adulto, secus est de parvulis Sacramentum suscipientibus, requiritur intentio, ita ut absolutè invitatus suscipiens, planè invalidè suscipiat.
13. Sine rationabili causa non licet Sacramenta suscipere à Ministris indignis, nec unquam ab eo, qui nequit validè vel licitè administrare.
14. Sacramenta causant gratiam moraliter.
15. Baptismus fictè susceptus, recedente fictione reviviscit: ad quod sufficit attritio, si susceptus sit cum obice negativo, & postea non fuerit commissum mortale.
16. Valet collatus in quacung; minima parte corporis.
17. Forma: ego te baptizo in nomine Genitoris & Geniti & Spirati, invalida est.
18. Confirmationis Sacramentum, à Christo in ultima Cœna probabilius est institutum.
19. Pro materia essentiali requirit chrisma ex oleo olivarum & balsamo confectum & ab Episcopo benedictum.
20. Minister ordinarius est Episcopus; 21. extraordinarius simplex Sacerdos.
22. Nulla per se est obligatio suscipiendi hoc Sacramentum.
23. SS. Eucharistiæ Sacramentum tum species, tum corpus Christi complectitur.
24. Aqua vino est miscenda non necessitate Sacramenti vel præcepti divini, sed humani.
25. Prius transit in vinum, quam in sanguinem, sed an physicè an moraliter tantùm, nobis nondum constat.
26. Vi verborum sub speciebus panis ponitur solùm corpus, sub speciebus vini solus Sanguis Christi, idque per actionem adductivam cum omnibus accidentibus à loco independentibus.
27. Posset corpus Christi in hoc Sacramento absolutè videri, secus naturaliter.
28. Sacramentum pœnitentiæ consistit in sola absolutione, actibus pœnitentis per modum quasi materiæ proximæ concurrentibus.
28. Materia remota sunt quævis peccata post baptismum commissa.
29. Contritio pœnitentibus suadenda, non necessaria ad Sacramenti valorem.
30. Nequit hoc Sacramentum defectu doloris esse validum.
31. Ab integritate confessionis excusat fractio sigilli inde oriunda, secus probabiliter est de complicis infamia.
33. Præcepto Confessionis, sive divino, sive Ecclesiastico non satisfacit per confessionem sacrilegam.
34. Extrema Unctio est verum Sacramentum.
35. Unctioes quinque sensuum cum formis correspondentibus sunt de necessitate præcepti.
36. An etiam Sacramenti, dubium.
37. Sacramentum Ordinis septem complectitur species.
38. Ordinarius Minister est Episcopus, ex commissione Papæ simplex Sacerdos.
39. Sacerdotium non nisi ab Episcopo conferri potest.
40. Episcopatus ex dispensatione pontificia ab uno Episcopo.
41. Continentia S. Ordinibus annexa est ex Ecclesiæ præcepto.
42. Sponsalia important contractum onerosum, potest tamen etiam dari promissio sponsalitia gratuita.
43. Jure positivo, non naturali requirunt septennium contractuum: forma, consensus sensibilibus expressus.
45. Minister, ipsi contrahentes; non Parochus assistens.
46. Metus gravis injustè incussus illud irritum reddit.
47. Illibatam castitatem, in matrimonio posse consistere, castissimum Deiparæ cum Josepho ostendit matrimonium, cum virginitatis voto contractum.
48. Si consensus utrimque defuit, utrimque etiam suppleatur, secus si ab una parte.
49. Matrimonium ratum indissolubile jure divino.
50. Clandestinum est directè per Ecclesiam irritatum.
51. Contractum in facie Ecclesiæ, sed invalidè, ob defectum publicum, debet instaurari cum solemnitate à Tridentino requisita.
52. An etiam, quando defectus fuit occultus: placet negativa.
53. Votum solemne dirimit matrimonium contrahendum jure Ecclesiastico.
56. Consanguinitas jure naturæ in quovis gradu lineæ rectæ.
57. An in primo lineæ transversæ, incertum.
58. Nulla affinitas dirimit, sive in lineâ transversâ, sive rectâ.
59. In impedimentis jure divino dirimentibus dispensat solus Deus.
60. In dirimentibus jure Pontificio, de se solus Papa; per accidens Episcopus.
61. Primo bimestri non obligantur Conjuges castitatis florem pessundare, etsi jam resolverint non intrare Religionem.

Baptismus.

Confirmatio.

Sac. Euch.

Pœnitentia.

Extrema Unctio Ordo.

Matrimonium.

Sere-